



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 395. Usque Ad Annum 428

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117794

§. 28. Leges pro Ecclesia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66042](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66042)

nus, quam Ecclesiam, in qua natus sum, Sæculum IV. diligam, in qua nutritus, & educatus A. C. 398. sum! Ecclesia illa vestra soror est, id enim actuum vestrorum conformitas demonstrat. Si Antiochena Ecclesia antiquitate præcedit, vestra tamen fidei ardore præstat? ibi plures numerantur, & concio frequentior est, hic vero plus patientiæ, & Christianæ fortitudinis invenitur! undique lupi vos circumstant, nec tamen ideo grex minuitur, sævæ tempestati, & hæresis grassanti flammæ viriliter resistitis! Verum omnino erat, quamvis Anomeis, aliisque Arianis publice Constantinopoli convenire non liceret, iis tamen hominibus Regionem fuisse impletam, etsi de Marcionitis, Manichæis, & Valentinianis nihil dicatur, quos simul in hoc sermone S. Joannes aggreditur.

§. XXVIII.

Leges pro Ecclesia.

Quanta Hæreticorum Constantinopoli ^{L. 30. 31. 32.} fuerit contumacia, ex legum mul- ^{33. 34. Cod.} titudine, quæ ad eos reprimendos ferri ^{Theod. de hæc.} debuerunt,prehenditur. Omissis illis, quæ superioribus annis latæ sunt, tres habemus de anno 396. unam de anno 397. & unam de 398. quæ partim contra Hæreticos generatim, partim contra Eunomianos, & Apollinaristas emanarunt.

Sæculum IV.
A. C. 398.

narunt. Ultima præcedentes rigore su-
perat; Clerici Eunomianorum, & Mon-
tanistarum ex omnibus urbibus ejici ju-
bentur, prohibet quoque, ne ruri con-
veniant, addita pœna, ut talis domus
fisco adjudicetur, ædium vero custos ul-
timo supplicio puniatur. Præterea pro-
hibet, istorum hæreticorum libros asser-
vari sub pœna capitis, sed flammis tradi
præcipit. Hæc lex quarta Martii data
est, cujus Historicus Philostorgius, hæ-
resis Eunomianæ Sæctator, Eutropium
auctorem dicit; hinc hujus Evnuchi au-
ctoritate condita creditur, ut S. Joanni
Chrysostomo in Episcopatus sui aditu ma-
jorem auctoritatem conciliaret.

L. 29. 30. C.
Theod. de E-
pisc. l. 31.
Cod.

In Occidente etiam Imperatoris Ho-
norii Nomine leges, Ecclesiæ faventes,
latæ. Primum duæ leges generales ap-
paruerunt, ut Ecclesiæ privilegia sua salva
essent, una brevi post mortem Theodosii
anno 395. altera anno 397. iterum alia
particularis 25. Aprilis anno 398. ut ipsa
facta contra Ecclesiarum immunitatem
reprimerentur. In ista lege statuitur,
si quis, dum Ecclesias Catholicas inva-
dit, Presbyteris, Ministris, officio Divi-
no, aut loco sacro contumeliam fecerit,
factum per Epistolas Magistratuum, at-
que ibi stationem tenentium militum,
ad Principes deferatur; nomina eorum,
qui agnosci potuerint, adjungant, si faci-
nus

nus a multitudine patratum sit, & sal-
tem aliquorum nomina cognita sint, qui A. C. 398.
complices prodant. *Provinciae Rector*
pæna sanguinis, in eos, qui convicti fue-
runt, animadvertet, nec exspectabit, do-
nec eos accuset Episcopus, cui Ministerii
sanctitas solam reis ignoscendi gloriam ve-
linquit. Sunt hæc propria legis ver-
ba. (*). Laude etiam dignum judicabi-
tur, non licitum solum, quiscunque vo-
luerit atroces injurias Presbyteris, aut
Ministris illatas, velut crimina publica
judicio persequi. Si multitudo rebellis
armis, & locorum opportunitate se tuea-
tur, ita ut a ministris comprehendi ne-
queant, Provinciarum Rectores in Afri-
ca auxilium petent a Comite, cui mili-
tum manus subsunt.

§. XXIX.

Bellum Gildonis.

Quod in dicta lege Africa nominetur,
inde cognoscimus, eam specialius
pro Africa fuisse conditam, nec abs re
creditur, hujus legis ferendæ causam de-
disse Donatistas, qui ad arma prorupe-
rant, atque hoc anno 398. occasione tu-
multus bellici, a Gildone excitati, licen-
tius furebant. Nubel, inter Africæ Re-

G 4

gulos

(*) Semper Ecclesia gladio spirituali, Respu-
blica vero materiali usa est.